

T5

Bacchides vv. 405-448**Un precettore preoccupato****Personaggi in scena****LYDUS:** precettore del giovane Pistoclero**PHILOXENUS:** padre di Pistoclero**MNESILOCHUS:** giovane innamorato di Bacchide, amico di Pistoclero

- 405** LYDUS Nunc experiar, sitne aceto tibi cor acre in pectore.
 Sequere. PHILOXENUS Quo sequare? Quo ducis nunc me? LYD. Ad illam
 quae tuom
 perdidit, pessum dedit tibi filium unice unicum.
 PHIL. Heia, Lyde, leniter qui saeviunt sapiunt magis.
 Minus mirandumst, illaec aetas si quid illorum facit,
410 quam si non faciat. Feci ego istaec itidem in adulescentia.
 LYD. Ei mihi, ei mihi, istaec illum perdidit assentatio.
 Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum:
 nunc propter te tuamque pravos factus est duciam
 Pistoclerus. MNESILOCHUS Di immortales, meum sodalem hic nominat.
415 Quid hoc negoti est, Pistoclerum Lydus quod erum tam ciet?
 PHIL. Paulisper, Lyde, est libido homini suo animo obsequi;
 iam aderit tempus, cum sese etiam ipse oderit. Morem geras;
 dum caveatur, praeter aequom ne quid delinquit, sine.
 LYD. Non sino, neque equidem illum me vivo corrumpi sinam.
420 Sed tu, qui pro tam corrupto dicis causam filio,
 eadem ne erat haec disciplina tibi, cum tu adulescens eras?
 Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiae,
 digitum longe a paedagogo pedem ut efferres aedibus.
 Ante solem exorientem nisi in palaestram veneras,
425 gymnasi praefecto haud mediocris poenas penderes.
 Id quom optigerat, hoc etiam ad malum accersebatur malum:
 et discipulus et magister perhibebantur improbi.
 Ibi cursu luctando hasta disco pugilatu pila
 saliendo sese exercebant magis quam scorto aut saviis:
430 ibi suam aetatem extendebant, non in latebrosis locis.
 Inde de hippodromo et palaestra ubi revenisses domum,
 cincticulo praecinctus in sella apud magistrum adsideres
 cum libro: cum legeres, si unam peccavisses syllabam,
 fieret corium tam maculosum quam est nutricis pallium.
435 MNES. Propter me haec nunc meo sodali dici discrucior miser;
 innocens suspicionem hanc sustinet causa mea.
 PHIL. Alii, Lyde, nunc sunt mores. LYD. Id equidem ego certo scio.
 Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
 quam magistro desinebat esse dicto oboediens;
440 at nunc, prius quam septuennis est, si attingas eum manu,
 exemplo puer paedagogo tabula disrumpit caput.

Cum patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater:
“Noster esto, dum te poteris defensare iniuria”.
Provocatur paedagogus: “Eho senex minimi preti,
445 ne attigas puerum istac causa, quando fecit strenue”.
It magister quasi lucerna uncto expretus linteo.
Itur illinc iure dicto. Hocine hic pacto potest
inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?